eſt, licebit aliquid, quod ſcriptum non eſt, defendendæ fidei merito ponere; & ponendum eſt licitè; aut non licebit; & utrumq; penitus denegandum eſt integrè: unde opus non eſt, agnito jam vocabulo ſonante profeßionem, ulteriùs inquirere, niſi ut ipſum homuſion nobis venerabilis Auguſtinus, ſuæ religionis Epiſcopus, ſcriptum oſtendat in lege. *Al. reſpondit, rectiſſ.
Auguſtinus Epiſcopus *reſpondit: Rectiſſimam juſtitiæ lineam tenens, ô nobiliſſimæ fidei Vir præſidens, agnoſce, rationemq́ue perpende, quia de tuo non ſolùm alii ſapientiſſimi viri judicio judicabunt, verùm etiam Deus veriſſimus, qui eſt omnium judex, pleniùs judicabit. Non enim differentis Dei ſpernendum eſt judicium: nonnunquam & in præſenti Judex ultor aſſurgit. Fidei ergo noſtræ jam dignare rationem inquirere, ſymbolumq́ue, quo fides utcunque conſtat, ſingulos præcipe tuis auribus coram omnibus recitare. Laurentius, vir clariſſimus, dixit: *A juſtitia nullâ ratione diſcordat, ut ipſe digneris, qui petitor es, Paſcenti, Vir clarißime, tuæ * fidei cum reverentia ſymbolum recitare.* *Al. fidei ſymb.
Tunc Paſcentius ſono clariori ſymbolum recitans, *Credere ſe in Deum Patrem omnipotentem, inviſibilem, ingenitum, & incapabilem* dixit, *& in Jeſum Chriſtum Filium ejus, Dominum natum ante ſecula, per quem facta ſunt omnia, & in Spiritum ſanctum.* Auguſtinus Epiſcopus reſpondit: Memorem eſſe Amplitudinem veſtram, in Dei negotio præſidens Cognitor proſecutionis noſtræ, non dubito, quia vir clariſſimus Paſcentius nihil ponendum eſſe in fidei ratione, præterquam quod Scripturæ continent, aſſeruit, qui, licèt fidei catholicę *homuſion* verbum pro macula nominis ſecundum ſuos auctores nitatur opponere, ex eo, quod poſuit, vel potiùs vetuit, hinc magis & *homuſion* à Græcis ſacerdotibus poſitum verbum in aſſertionem fidei dici debere, rectè defendimus, & aliqua, quæ ſcripta non ſunt, ab ipſis potiùs temere poſita, vel dicta, modò probamus. Laurentius, Vir clariſſimus, dixit: *Curſim, ut video, honorabilis Auguſtinus negotii præſentis calcem ſeſe obtinuiſſe declarat, ſeſeq; docturum aſtruens, aliqua, quæ ſcripta non ſunt, tuæ Paſcenti clarißime, auctores fidei poſuiſſe, quæ ſequeris.* 793.
*Quæ ſi in lege non poſita, & à vobis propriâ uſurpatione fidei merito poſita eſſe docuerit, jam quærendum erit, [*quia jam licere manifeſtum erit,] quid in intimis homuſion verbum habeat, ad quam rem pertineat, cuiq; rei rectè hoc verbum adhibitum judicetur, juſtèq; inventum vel poſitum ipſa fidei perfectio roborabit.* *Al. qui
Paſcentius, Vir clariſſimus, dixit: *Non decet nos aliquid ſine auctoritate Scripturarum ponere divinarum. Quid eſt tamen, ſepoſito calumniæ artificio, quod dicit vel proponit è diverſo defendens frater Auguſtinus, abſq; legis auctoritate nos alicubi poſuiſſe vel dicere? Publicet palàm, & ſi convicerit, nec homuſion injuſtè ab ipſis poſitum, etiam ego jam publicè conclamabo, ſtatimq; eorum communioni ſocius fio.*

Lau-

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id402072154/867 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG